

A.

# DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

# CHIRURGIAE

AD

## MEDICINAM RELATIONE

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA, PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

### HERMANUS SPITZER.

---

Theses adnexae defendentur in Palatio Universitatis majori  
die Mensis 1833.

*J. Poor*

---

PESTHINI,

TYPIS LANDERERIANIS.

**Non omnia possumus omnes.**

1000

Meinem Hochverehrten  
Vheim und Wohlthäter  
H e r r n

**J a k o b S p i t z e r**

aus

Liebe und Dankbarkeit  
gewidmet.

Quae hucusque inde a resuscitatione Chirurgiae, nominatim autem in seculis ultimo praeterlapsis, in lucem prodivere scripta, de relatione Chirurgiae ad medicinam tractantia, tam varia sunt sibi que contradictoria, ut ex his nullatenus resultatum scopo suo respondens deduci possit, dum enim alii Chirurgiae absolutam cum medicina conjunctionem, ejusque ad omne scientiae medicae possibile culmen elevationem peterent, alii autem inomissam hujus scientiae medicae haud dignae a medicina separationem evaderent, factum est, ut dissensionibus his prolatis, ad extrema potius quam ad scopum desideratum deventum sit.

Quam nos profiteamur Chirurgiam cum medicina totum quoddam constituere, omnis aevi medici concedunt, nec ullus prudens hoc unquam negare audebit, neque tamen ideo utriusque doctrinae absoluta requiritur conjunctio; ex certo enim respectu, earum separatio, utique in ipsius jam individui natura ac facultatibus fundata, sat manifeste conditionatur, hinc etiam factum est, ut ab eo momento, quo certum scientiae evolutionis gradum attigisset, separatio haec chirurgiae a medicina conditionata, per nullas demonstrationes theoreticas neganda, et si, quod omnino fatendum, ad extrema non raro quoque prolapsa fuerit, tamen perstiterit.

Ut ratio, qua ad medicinam referatur Chirurgia, et modus, quo hae disciplinae conjungendae, et ubi disjungendae sint, rite et omni ex parte dijudicari valeant, necesse ante omnia erit, ut disjunctio primo

fiat inter Chirurgum et Chirurgiam, porro inter Chirurgum medicum et Chirurgum manua- lem. Horum enim solum momentorum, nominatim autem inter chirurgum manua-lem et medicum chirur- gum confusio; ad dissentientes has de Chirurgiae ad medicinam relatione opiniones ansam dedit. Demon- strant id inter caetera illa medicorum scripta, quae se- culo praeterlapso ad finem vergente, copia sat magna in lucem prodivere; major horum numerus, doctrinas has e parte solum theoretica respicientes, scientiam autem chirurgiae practicae penitus negligentes, con- junctionem chirurgiae cum medicina defendunt, quas autem ad hanc conjunctionem restituendam ponunt con- ditiones, adeo sunt mancae atque imperfectae, ut hac via incedere practice penitus impossibile sit; Reliqua autem scripta inter quae prae aliis illud Ingleri prae- mio ornatum, recenseri meretur, in extrema penitus opposita incidunt. In scripto illo memorato separatio utriusque doctrinae, ut necessaria conditionatur, ve- rum hic Ingler ubique fere tantum chirurgum adiutorem (den chirurgischen Gehülffen) prae oculis habuit, atque videtur solum agere de ratione ac modo quo tonsorum (der Barbier) damna pro chirurgicis suis privilegiis ac praerogativis, sufficienter resarciri possint, quomodo hi artem colere debeant etc.

Quodsi chirurgia ex parte ejus theoretica conside- retur, nullibi plane momentum reperitur, e quo inter hanc et medicinam limes arctior duci posset, doctrinae ambae unum idemque habent objectum, aegrum quippe organismum, nec non remedia hunc in statum sanum reducendi, et sicut organismus unum totum constituit, in quo partes tantum per intimam sympathiam, tam inter se quam cum reliquo organismo in activitatem ponuntur, ita quoque cum doctrina de statu ejus patho- logico erit; omnis medicina e physiologicis originarie egreditur, cum haec non solum iconem ejus status lar-

giatur, cujus praesentiam universa medicina molitur, verum etiam ad principia suprema pathologica ducit; prouti vero physiologia unum totum constituit, ita quoque cum Pathologia res esse debet. Indoles morborum semper fere et ubique in abnormitatibus virium ac facultatum consistit, abnormitatibus his internis, alienationes materiales respondebunt turbato enim factore dynamico materialis nunquam intactus manere potest, abnormitates haec plus minus in sensus cadunt, nunquam autem penitus desiderantur, quibus fit, ut Pathologiam medicam et chirurgicam semper in unum confluere videamus, neque tamen unice ad Pathologiam generalem haec conjunctio restringitur, verum ulterius quoque ad specialem progreditur, et sat praevalenter docet experientia, status morbosos chirurgicos, id est tales, qui se praecipue per alienationes materiales manifestant ex internis originem ducere, sicut et vicissim alienationes externae internos post se ducunt morbos.

Non alia ratione prout cum morbis ipsis, res quoque cum horum causis remotis se habebit, ac nec hic ullibi proprium reperimus causarum territorium, quod huic magis aut illi scientiae medicae parti characteristicum propriumque esset; non pauci quidem erant medici, qui causas mechanicas externas chirurgiae soli vindicari, malaque inde orta, primariae quippe mechanica, ut proprium chirurgiae territorium determinare volebant; verum assertum hoc e duplici respectu jam non stat, ac primo quidem causae mechanicae externae non semper talia post se ducunt mala, quae praecipue ac proxime in spatio manifestantur, et dein neque status morborum in alienatione materiali radicati omnes e causis externis mechanicis originem ducunt. Exempli causa adduco Comotiones, haec licet semper et ubique ad morbos chirurgicos referantur tamen a Paralyti non nisi causa differunt, atque haec sola vix sufficiens momentum pro disjunctione largitur. Eadem ratione

porro se habet cum conditionibus variis februm, spasmodorum, erethismorum nec non cum laesionibus partium organismi nobilium; quale nam hac ratione esset discrimen inter trisimum per laesionem mechanicam, et illum per refrigerium inductum? — Ex alia parte adduco iterum Labium leporinum, ulcera fistulosa, incarcerationes, etc., quae mala recensita status morborum sunt omnino in alienationibus materialibus radicata, haec mala nemo medicorum a morbis chirurgicis, seu illis, quos per causas mechanicas externas induci statuunt divellet, et tamen cuique notum est, ea e causis diversissimis internis, prioribus plane contrariis oriri. E quibus omnibus sat clare elucet, limitem inter chirurgiam et medicinam neque hic; neque sub ullo alio respectu arctiorem duci posse, sed id quod separat in plus ac minus omnino consistere, quod ipsum essentialem ambarum doctrinarum identitatem iterum potius approbare quam negare videtur.

Eadem tandem ratione cum Therapia quoque, parte ejus theoretica spectata res se habet, curantur enim morbi per regimen rectum influxuum necessariorum inevitabilium naturae externae in organismo aegro, porro per ab- aut adlationem influxuum non necessariorum; omnes quidem hi influxus proxime ad diversas functiones et organa hominum diversa referuntur, sunt aut physici aut psychici, agunt mechanice, chemice, aut dynamicè, hac autem ad organismum relatione omnes gaudent influxus externi, cum inter diversas organismi functiones ac ejus organa varia nexum mutuum locum habere physiologia sat clare doceat, quo fit, ut influxus in unum saltem aut aliud organon, toto reliquo organismo intacto, agentes, cogitari nequeant. — Influxus necessarii ejus sunt activitatis multiplicis imediatæque, ut in omnibus, tam virium, quam materiae abnormitatibus, ex omni parte quam diligentissime respici debeant, radicatur nempe in his ea Therapia pars,

quam *Diaeteticen ac Regimen* vocant, ac in universa scientia medica maximae dignitatis est, hoc est objectum medicinam cum chirurgia intime conjungens, hancque scientiae medicae partem, ut medicinae soli propriam, sicut id prioribus temporibus saepe factum fuisse legimus, tractare, non minori universo studio medico, quam praecipue aegris detrimento foret. — Quodsi tandem influxus in *organismum non necessarii*, i. e. ad morbum solum tollendum adhibendi, uno verbo *Pharmaca* in sensu strictissimo respiciantur, in his utique ex certo obtutu fundamentum separationem petens reperimus, sed minus ex parte ejus scientifica, omne enim medicamentum praeter relationem proximam ad organismi sphaeram quandam determinatam, remotiori simul aliqua ad *organismum* relatione gaudet, non negligenda. Porro morbus ipse quilibet hanc relationem medicamentorum multiplicem pro systematis adfecti diversitate poscit, quia morbus nunquam unum saltem systema adficere potest, quin non reliqua plus minus in consensum trahat.

In universa itaque scientia medica, parte ejus theoretica spectata, nullibi fundamentum reperimus, cui chirurgiae a medicina separatio initeretur. In genere omnes morbi sunt alienationes virium cum his respondentibus materiae alienationibus, quae ex concursu causarum externarum et relationum in organismo latentium oriuntur, et ad quarum ablationem regimen atque modificatio diversarum in *organismum* agentium potentiarum nocentium requiruntur; nihil itaque asserto nostro repugnat: medicinam quippe cum chirurgia totum quoddam constituere, atque quoad essentiam unum esse idemque.

Ratione penitus contraria res se habebit, ubi scientiae medicae partem practicam consideraverimus, seu ut clarius loquar in relatione medici ad chirurgum, hic utique fundamentum sufficiens pro separatione reperimus, in ipsa praxi radicatum; Quod nuperrime post



Richerand a schola Parisiensi fuit assertum: „quod in therapia mechanicum“ minime sufficiens fundamentum largitur pro separatione chirurgiae a medicina, eo magis autem pro secernendo chirurgo a medico, et omnino operatio manualis sola est, quae praxim chirurgicam characterizat, et certam separationem inducere valet. Tractatio haec manualis, sive operationes chirurgicae, certas poscunt proprietates ac facultates per exercitium utique acquirendas, pro parte autem a natura benigna donatas, et ideo non omnis medicus una etiam operator esse potest, hujus enim officia tantis ac tam variis juncta sunt discriminibus, quae medicus saepe nec noscit, quibusque se subicere nemo cogi potest; tandem operationes chirurgicae poscunt, ut semper exerceantur; respective autem rariores sunt, ut itaque unus, quantum possibile est multas harum efficiat, ad facultatem suam exercendam, haec separatio ex respectu practico utique svadenda.

Interim neque separatio haec ita simpliciter determinari potest, et ex hac parte ante omnia distinctionem facere necesse est inter chirurgum operatorem, et chirurgum adiutorem, quod enim hunc adinet apud illum utique separatio in omni re requiritur, summum hujus officium est medico operatori auxilio subvenire, bene autem notandum ille ipse nihil operatur, nisi in statu subordinato, et ubi superior quis, quem sequatur in agendo, nemo adest, ad summum negative agere potest, i. e. influxus externos arcendo, est is instrumentum quasi atque adiutor medici operantis, hujus itaque status in medicina nec essentialiter respici potest. Neque tamen ideo omni plane respectu indigna dici potest haec classis chirurgorum, quae per longissimam annorum seriem unica chirurgiam quasi repraesentans, ad hodiernum chirurgiae statum evoluta est.

Chirurgum autem in sensu strictissimo summentes, nemo non perspiciet, hunc ad solam manualem tracta-

tionem restrictum, in hodierno medicinae statu existere vix posse, operationes enim, et per has in organismo inductae mutationes materiales, pro se curam non efficiunt, sed solum concurrente una reactione organica. Reactionis autem hujus intensitatem medicus non semper praevidere, multo minus praedicere potest, haec enim jam fortior et tumultuosior, scopo suo intento, jam vero mitior esse solet, violentia traumatica in se ipsa jam est potentia nocens, et hujus solum regimen justum ad scopum desideratum ducit. Regimen hoc solum a medico operante modificari potest, qui non operatu medicus, nec vis manualis valorem aestimare valebit, ad valorem enim hunc determinandum proprium requiritur studium, partim praxi propriae inixum, partim vero per aetatem, sexum, temperamentum, constitutionem, dispositionem, et alias circumstantias similes determinandum, necesse itaque est, ut omnes hae circumstantiae, ab eo accurate perpendantur, qui influxum operationum chirurgicarum tam aetiologicum quam therapeuticum in organismum, et reactionem organicam in hos rite aestimare vult, uno verbo: Operator simul perfecte cultus medicus sit oportet.

Eadem plane ratione, uti cum regimine reactionis traumaticae, res se quoque habebit cum determinatione Indicationis ad operationem quandam, haec coalescit ex comparatione effectuum operationis, cum statu morbo, ob quem suscipienda est operatio; duo momenta, quae ubi de absoluta chirurgiae a medicina separatione sermo est, ita evanescent, ut eorum comparatio, atque cum hoc indicationum determinatio plenarie impossibiles sint. Qui indicationem determinare vult, indicatum ex omnibus partibus noscat necesse est, hoc est: indicationem determinare solum medicus potest operans, hic autem morbum ex omni parte, et non hunc tantum verum, et physicam, psychicam normalem et abnormum omnem organismi indolem dijudi-

care debet scire, si bonum et rectum de operatione indicata iudicium ferre vult. Et tandem si etiam puncta argumentaque ante et post operationem respicienda, hucusque jam considerata: per combinationem medici cum chirurgo in effectum poni possent, cum executione tamen operationis semper modo nunc comemorato res erit; Omnis operatio nil aliud sit oportet, quam realisatio ideae formatae ad casum individualem, una eademque operatio in duobus individuis diversis, rationibus modisque accurate aequalibus nec cogitari, multo minus perfici potest, omne enim individuum tam respectu somatico quam etiam dinamico differre debet, differt quoque in quolibet individuo omnis morbus, et ab simplicissima tumorum cisticorum operatione, usque in innumerum variantes herniarum operationes, nullibi plane generalis ac imutabilis reperitur typus juxta quem una eademque operatio in omnibus individuis uno eodemque exsequi posset modo. Praecepta quae studium chirurgicum tradit schemata solummodo sunt, quae nos ad specialia adplicare conamur, sed ipsa haec schematum ad specialia reductio, resultatum est cognitionis organismi individualis, atque hujus status morborum, quoad omnes ejus extensiones.

Hac itaque ratione separatio chirurgiae a medicina ex respectu practico conditionata solum apparet, quodsi ab chirurgo auxiliatore, quod absque ullo damno fieri potest, abstrahatur, cum talis operans nonnisi ut instrumentum medici considerari potest, quae ergo hic exequitur universa est et inseparabilis ars medica, et cujus cognitione omnis medicinae peritus imbutus esse debet, medicus autem a chirurgo eo solum distinguitur, quod hic facultatibus simul naturalibus, ad operationes chirurgicas perficiendas gaudeat, quibus medicus destituitur, dum itaque ex parte Theoriae nullum pro separatione chirurgiae a medicina fundamentum firmum reperiat, tale e praxi facilius desummi potest. — Ex

una enim parte congruum videtur conditionatam hanc ambarum doctrinarum separationem ut basim constituere, cui dein universi territorii medici praelectiones initi possunt, et quidem e causa satis clara, quia ad praxim, quae antiquae medicinae praecipuus est scopus, refertur porro autem constat, nullam existere aliam distinctionem, quae ita esset generalis, itaque late extensa, quam haec licet non strictissime separans, qualis nec esse deberet, sit, et demum reperiuntur in hac certa ac determinata causarum series; causae quippe externae; certa ac determinata series morborum; scilicet primarie mechanici; certa tandem ac determinata series remedium: nempe operationes chirurgicae, quibus omnibus simul sumtis apparet, vix aliam existere distinctionem huic superiore. — Ex alia autem parte conditionata haec separatio non parum ipsius scientiae evolutioni favet. Absoluta chirurgiae a medicina separatio tantum nocere potest, in quantum nempe occasio largiatur, ut operationes chirurgicae a singulis non nisi mechanice, perfunctorieque, ut ita dicam, perficiantur; Dum autem detrimentum hoc ex illa, ingenio medico omni ad certum territorium necessaria concentratione oritur ipsa haec concentratio, in separatione illa scientiae conditionata licet non nisi adferre debet. Cum observatio basim largiatur, cui omnis cognitio veritatum medicarum innititur, summae certae utilitatis erit, ut singulus, scientiam hanc ad certum evolutionis gradum evehere cupiens, summam observatorum suorum in totum aliquod conferat, quod utique, quo major ipsi occasio praxim chirurgicam ampliandi offeratur eo facilius perficere poterit, qua occasione id simul lucratur, ut conatus suos scientificos, ad certam solum modo morborum seriem restringendo, collatas suas in hac materia experientias facilius perspicere valeat. Ambo medicinae cardines et observatio et ratio haec scientiae separationem conditionatam essentialiter amplificantur. Neminem autem latebit ipsam hanc scien-

tiae medicae perfectionem strictissime ab Aesculapii filiis exigere, ut hi in quantum id fieri potest in universa scientia medica versatissimi sint, et valor essentialis conjunctionis ambarum scientiae medicae partium, non minus hic ac in sphaera practica quoque elucet. Prouti omnia organa, functionesque omnes ejusdem organismi intimo inter se cohaerent nexu, unum in aliud transit, hoc in illo evolvitur, se invicem adjuvant, ab invicem dependent, ac tandem nonnisi in Confluxu omnium in unum suam existentiam organicam manifestant, prouti porro hic nexus mutuus et in statu pathologico patet, ita quoque necesse est, ut et Pathologiae et Therapiae partes se invicem explicent, et ab invicem illuminentur, ut eo facilius qua unius ejusdemque catenae constantes atque aequabiles articuli in totum quoddam systematicum conjungi queant, sine qua utique conditione scientia medica nunquam ultra empyriam rudem altolletur.

Difficilius quam in praxi limes inter chirurgiam et medicinam via scientifica duci potest, ast hic omnis strictior separatio minus conveniens esse videtur. Confluant quaecunque demum ratione inseparabili, ambae hae disciplinae. — Liceat! — an non quaeso per confluum hanc ambarum doctrinarum, absoluta illa, medicinae omni tam exitiosa scientiarum separatio, eo minus minatur? — Exitiosam autem hanc absolutam medicinae separationem esse, jam e superius dictis patet, cum hoc multo minus in scientia ipsa, quam potius in hominis singuli facultatibus ac natura radicetur.

Ex omnibus quae hucusque recensita fuerunt conclusio sequens valet: Licet separatio inter Aesculapii filios singulos, prout hi uni aut alteri scientiae medicae territorio magis aut minus addicti sunt, concedenda sit, nihilominus tamen sive sit chirurgus sive medicus, sive operator, sive non semper in universa scientiae medicae Theoria quam versatissimus sit oportet. Fuerunt quidem non pauci et adhuc sunt, qui contendunt, ambitum uni-

versae scientiae medicae tantum esse, ut vix ab uno comprehendi possit, adeoque ejus in duas partes distinctionem tam ad cognitionem quam ad executionem absolute necessarium esse. Verum assertum hoc plane non constat, quodsi a medicina abstrahantur innumerae illae hypotheses, quodsi non pro qualibet scientiae hujus parte, cognitio totius massae omnium singularumque observationum petantur, uno verbo, quodsi tantum agatur de resultato ex observationibus et experimentis singulorum patente et se manifestante, ambitus vere ita immensus non est, ut ab ingenio, quale ad omnem reliquam scientiam necessarium est, comprehendi non posset, atque his solum resultatis praxim medicam proxime initi, quis unquam negabit. — A medico practico nunquam peti potest, ut is in cujuslibet sententiae, cui in agendo inittitur documenta, cum diligentia diplomatica, atque amplitudine inquirat. Debet is in doctrina, ubi in genere de veritatibus sanctionatis minime, verum solum de verisimilitudinibus sermo esse potest, experimentis et resultatis docentium confidere, quodsi autem illi errabant, tunc praxi suae propriae ulteriori relictum sit, atque observationi, in quantum viribus humanis concessum est, ad verisimiliora et rectiora devenire. In genere false opinantur, qui medicum incipientem omnibus his imbutum esse debere rati sunt, quae unquam de objecto hocce dicta atque cogitata fuere, e contra absque Paradoxo contenditur potest, discentibus ex hoc respectu potius nimis multum quam parum tradi posse. — Major numerus individuorum studio se medico addicentium, omnibusque ad praxim medicam prosperam exercendam, facultatibus necessariis instructorum, earum sunt proprietatum psychicarum, ut hi initio ad minimum via quadam certiori in praxim medicam duci debeant, debet illis docens resultata a se ut certiora verisimilioraque agnita, tradere, sed non ultra haec, secus enim Tiro fluctuabit modo, qui multo periculosior est quam

unilateralitas et „jurare in verba magistri“, — et rationē superius commemorata praelectiones publicae comode institui possunt; nam ingenium, quod in scientia praecellit, sibi ipsi viam recti ab initio jam statim assignare valens, nunquam cum percepto jam contentus, quietus haerebit, verum propria sua intelligentia, diligensque operum medicorum celebrium studium, mox aliud in illo de doctrina hac excitabit iudicium, cui in agendo innitatur, quodque iudicium iterum huic solum, nec aliis omnibus, conveniet medico. — Aliter quidem ac cum praxi, res est cum promotione scientiae theoreticae, hic utique interest cognitiones suas ulterius quoque extendere, neque ad resultata solum restringere, hic omnino proprium requiritur ingenium, in ipsa jam individualitate radicatum; cum autem haec scientiae theoreticae promotio, ab individuis solum ingeniosis expectanda sit, cumque scientiarum separatio conditionata saepius jam commemorata, hic quoque valorem suum acquirere debeat, facile patet assertum: absolutam doctrinarum separationem, ob nimium scientiae ambitum necessariam esse, valore suo destitui, nonque constare posse.

Et de hac re disputatum fuit, utrum medicina aut chirurgia majoris valoris sit, adeoque una alteri praeferenda esset? — verum quodsi mutuis, in quo ambae scientiae haec medicae partes se habeant nexus, atque earum separatio solum conditionata respiciantur, quaestio haec maxima pro parte valore suo orbatur. Id certum est, ut homo, qui non solum medicus adjutor, verum etiam chirurgus in sensu strictissimo evadere vult, non solum cognitionibus iis, medico omni summopere necessariis, ex omni parte imbutus esse debeat, verum etiam facultatibus illis manualibus gaudeat, sine quibus nullus unquam operator culmen perfectionis suae artis attingere poterit. Porro versatissimus sit in aestimatione effectuum per

influxuo externos in organismo provocatorum, quae omnis utique medicus internos curans morbos, non adeo magni facit. Ultra videmus partem illam chirurgiae praecipuam, utpote doctrinam de morbis primario mechanicis, ea gaudere perfectione, quam perperam in reliqua scientia medica quaerimus. Dum chirurgiae studium perfectum dicimus, eo minime contendimus: in chirurgia nullam plane amplius reperiri lacunam, quasi nullius amplius emendationis capax esset, imo contra haec novissima medicinae historia testatur. Id solum constat, in universo medicinae territorio, nullibi reperiri talem claritatem de causis, de modo, quo haec statum morbosum inducant, ac de morbis ipsis. Symptomatologia chirurgica non saltem sufficienter nunc perfecta exstat, verum etiam rationaliter fundata est, atque idem hoc plane de Therapia chirurgiae valet; tandem effectus remediorum chirurgicorum manifestiores magis sunt, nam cum certiori tutiorique convictione de auxilio nostro per operationem chirurgicam inducendo gloriari possumus. Effectus interna insequentibus pharmaca oculos nostros quasi fugiunt. Remedia interna avtocratiae naturae adinstar agunt abscondite, quo deus fit, ut non semper cum certitudine assignare valeamus. quid in sanitate restituta arti, quidve naturae debeamus. Ratione penitus diversa cum operatione est, ubi haec semel indicata est, ibi nullus amplius selectus valet medicamentorum, ibique haec unica solum juvare potest, estque conditio sine qua non, ejus in corpus influxus immediatus est evidens, effectus ejus manifestus, unice ab operatione derivandus. Cum tali certitudine ab effectu per remedia interna inducto rarius jam loqui audemus, et quodsi poterimus, id tunc solum fiet, ubi cum tractatione medica, remedia chirurgica quoque, nominatim autem venae sectio, conjuncta fuerint.

Praevalentia tamen chirurgiae praee medicina maxima pro parte disparet, omnisque ejus excellentia spe-



ciosa magis apparet in comparatione cum medicina chirurgiae ejus, cujus hucusque nobis hic sermo fuit, et quae cum medicina junctis incedit manibus. Chirurgia absquae medicina nihil est aut parum. Operationes chirurgicae semper potentias constituunt nocentes, atque vis earum nocens cum vi medicatrici pari passu incidunt. Solum nexu arctiori cum scientia medica chirurgiam suam perfectionem nancisci potest. Historia medicinae omnis aevi sufficienter docet, chirurgiam in absoluta ejus a medicina separatione praevaletentia praehac omni non saltem destitui, verum per remedia sua heroica multipliciter omnino quoque nocere, nisi a medico in scientia sua et arte cultissimo, facultatibusque a natura benigna ipsi concessis, ditissime proviso, exercetur.

## **T h e s e s.**

---

1. Nullus chirurgus parte medicinae scientifica carere potest.
  2. Nec tamen omnis medicus una chirurgus operator esse debet.
  3. Febris intermittens nonnunquam critica, infarctus viscerum abdominalium sanat.
  4. Febres eadem varium saepe mentiuntur morbum.
  5. In diaetetieis plus saepe salutis, quam in lagenis pharmaceuticis.
  6. Nullum hucusque contra taeniam remedium habetur specificum.
  7. Narcotica complura stimulo agunt, sed negativo.
  8. Physiologica mortis contemplatio summae est in praxi utilitatis.
  9. Arthritis et Rhevmatismus sunt morbi inter se valde diversi.
  10. Plus praestat qui praecavet, quam qui sanat morbum.
  11. Fons medicinae alter experientia alter ratio.
  12. Dentes non ad systhema osseum sed cutaneum pertinent.
  13. Bilis non ex arterioso sed venoso secernitur sanguine.
  14. Resorptio inter venas et vasa lymphatica est partita.
-